

P V I S

1 6 1 8

- I. Philastrii Catalogus Hæresium.  
II. D. Honorii de Hæresibus.  
III. D. Bugenavii distributio Aethiopica Historia passionis Christi.  
IV. D. Garciæ Dodecæ Concionum Pestilentiarum.  
V. D. Garciæ Delineatio Concionum Pestilentiarum.  
VI. Basilii Magni Oratio ad Adolescentes.  
VII. Intimatio futiliæ ræmpelici.  
VIII. Theologorum Saxoniorum Ecclæ Invitatoria ad universos Theologos.  
IX. D. Bergii Professoris Francofurtensis Disputationes Theologicae.  
X. M. Sachsi Disquisitio adversus Meisterum.  
XI. Montani Virga in Bremum et Unguentum.  
XII. D. Pelargi Responsum ad Epistolam Augustini et Grameri.  
XIII. D. Pelargi Responsoria ad Apostolica Brevia Scholastici et Crameri.  
XIV. Galeni Disputatio de Abstracto et Concreto.  
XV. Pelargi Disputatio de Ascensione Christi.  
XVI. M. Wolfgangi Theses de Justitia et Falsitate.  
XVII. D. Fusseli Disputatio de Deo.  
XVIII. M. Theopoldi Disputatio in Dialogo Theodori. Secundo.  
XIX. de Deo.  
XX. de Peccato.  
XXI. de trib. in Contraitione Homini Concurrenti.  
XXII. de Justificatione.  
XXIII. de Bonis Operibus.  
XXIV. de Ecclesia.

Maa B.

XVI

22

PROPOSITIONES

De

# TRIBUS CON CURRENTIBUS IN CON- VERSIONE HOMINIS.

Ex

QUARTO Examinis Theologici MELAN-  
CHTHONIANI loco, qui

est de

# LIBERO ARBITRIO,

derivatae, illustratae,

&

*Ad piam ac placidam dissertationem.*  
*propositae, Servestæ,*

PRÆSIDE

M. JOHANNE THEOPOLDO, ILU-  
STRIS GYMNASII THEOLOGICO PROFES-  
SORE & INSPECTORE,

RESPONDENTE

M. JOHANNE GRAJO ABREDONENSI SCOTO.

die VI. Novembr.h. VIII. matutinâ &c.

Servestæ typis Zachariae Döfferi.

Anno CHRISTI M-D C XII.





PROPOSITIONES EX  
LOCO DE LIBERO ARBI.  
TRIO.

I.

**Q**uoniam præcedenti loco ostensum est, omnes vires humanas per peccatum esse corruptas, & debilitatas, rectè quæritur: An propterea prorsus nulla voluntatis libertas in homine sit reliqua; Ideoq; locum De Peccatore rectè excipit locus de Libero Arbitrio, eiq; inseritur doctrina de Concurrentibus in Conversione hominis, ut sciatur, an, & quomodo, voluntas hominis in ea concurrat.

Rao adiun

II.

Licet verò Titulus seu Inscriptio hujus loci videatur promittere tractationem de Libero arbitrio in genere: res ipsa tamen loquitur, nostrum autorem agere solummodo de Libero arbitrio hominis post lapsum in hac vitâ, & doctrinam istam ad conversionem hominis accommodare.

III.

Vestigiis igitur Autoris nostri insistentes, statuimus in hac doctrinâ in primis observandam & tenendam esse distinctionem disciplinæ externæ, & justitiæ spiritualis.

A 2

Et

IV.

*No non renato* Et concedimus quidem omnes homines, etiam  
*post lapsus p[er]t[urb]ationem* non renatos, post lapsum quoq[ue] habere hanc li-  
bertatem, ut possint aliquo modo regere locomo-  
*cere op[er]a optimam*, & facere externa opera congruentia  
*convenientia a-* aliquo modo cum lege Dei, ut testatur Apostolus,  
*legi CD.* quando justitiae carnis, quam alias frustra sic  
nominaret, mentionem facit.

V.

*Deus libertatem regendi exteriora*  
Vult enim Deus libertatem regendi exteriora  
membra reliquam esse in homine, ut intelliga-  
tur discrimen inter agens liberum, & agentia  
non liberè: item ut sciamus, ipsum Deum esse  
agens liberrimum: item, ne prorsus inutilis sit  
vox legum in civili gubernatione seu pæda-  
gogia.

VI.

*In interiorum triam* Interiorem verò obedientiam, præceptam in lege  
*homo renatus* Dei, veram fidem, invocationem, dilectionem  
*p[ro]ficiens non p[ro]ficitur. non p[ro]ficitur.* & timorem Dei, adeò non posse præstare suis vi-  
ribus homines, certum est, ut eam ne inchoare,  
imò ne intelligere quidem, sine Evangelio & sine  
Spiritu Sancto, possint.

VII.

Manifestum est enim, æquè ac mortem ipsam,  
minimè posse deponi naturalibus viribus *ἀταξίας*,  
sue pravam concupiscentiam, quæ nobiscum na-  
scitur, hominemq[ue], non inquam perfectè satisfa-  
cere legi DEI, sed ne quidem impletionem perfe-  
ctam incoare suis viribus posse.

Quod



## IIX.

Quod siquidem disertâ voce asseveramus, an  
nón totum conversionis nostræ beneficium in so-  
lidum adscribimus Gratiae Dei?

## IX.

Improbamus igitur Pelagianorum, quiq; hos  
secuti sunt, Monachorum deliramenta, fингenti-  
um, homines posse viribus naturalibus legi Dei sa-  
tisfacere, & mereri remissionem peccatorum, &  
esse justos legis impletione.

## X.

Rejicimus etiam, imò execramur Manichæo-  
rum furores, quorum illi, Stoicam introducen-  
tes necessitatem omnium actionum, alias homi-  
nes comminiscuntur esse ortos à bono Deo, qui  
necessariò benè agant, alias verò à malo Deo, qui  
necessariò male agant, nec possint converti: Hi  
verò, cum suis asseclis, Anabaptistis & Schwenck-  
feldianis, expectandos esse somniant violentos  
motus seu raptus, quibus homo, etiam repugnans  
& invitus, convertatur.

## XI.

Mōstrosis autem istiusmodi opinionum porten-  
tis opponimus ordinem divinitus sanctum, qui  
docet, fidem esse ex auditu, auditum verò per  
Verbum DEI, Rom. 10 v. 17. per quod, ut & per Sa-  
cra menta, seu sigilla Verbi, in vero horum usu,  
Spiritus Sanctus in cordibus hominum efficax c̄st,  
eaq; convertit, & regenerat ad vitam æternam.

## XII.

Ideoq; cum omnibus recte docentibus in Ecclesiâ Filii Dei, unanimi, veroq; consensu, sentimus, credimus, ac profitemur: Concurrere in conversione hominis ad Deum hæc tria, sive ha-  
tres causas, minimè tamen inter se pares, licet  
haud segregandas:

I. Verbum nimirum Dei, relativè, non absolute, consideratum, ως αἴτιον οργανικὸν δῆμον: à quo tamen, non dignitatis, sed tantum ordinis gratia, sic divinitus sanciti, ordimur:

II. Deinde Spiritum Sanctum, quem Pater & Filius mittunt, ut accendat corda nostra, quiq; est κύριον αἴτιον, & de quo cum Ecclesiâ canimus: Sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium.

III. Et deniq; nostram Voluntatem, non ut κείμενον ἄλογον seu subjectum brutum planèq; pure παρηγόντικὸν seu passivum, sed λογικὸν, ηγή ως αἴτιον διποδεχόμενον, seu causam recipientem, tractam scilicet, motamq; à Spiritu Sanctificatore, per Verbum, sicq; postquam sanari jam cœpit, adversus dubitationem luctando, assentiri conantem, nec amplius Verbo Dei hostiliter atq; contumaciter repugnantem, sed inter trepidationem utcunq; assentientem.

## XIII.

Donec enim, sibi relictus homo, diffidentiae indulget, verbōq; Dei simpliciter repugnat, nulla cœpit fieri regeneratio, aut conversio, sola scilicet carne prædominante.

## XIV.

Quam-



Quamprimum autem lucta incipit, jamtum  
Spiritus Sanctus exercere cœpit ἐνέργειαν suam per  
Verbum, quo arguit peccatum voce legis in ge-  
nere, & hoc malleo contusis ac mortificatis pec-  
catoribus, in specie deinde exaggerat ignoratio-  
nem atq; contemptum Mediatoris, ut ab αἵμασι,  
peccatorum extremo & periculosisimo, absterri-  
tos, ad thronum misericordiae divinæ anhelare  
doceat: unde quasi ab inferis ad novam vitam re-  
vocatum expurgisci cor hominis incipit, ac dein-  
ceps per universam vitam, ad παλιγγενεσίαν usq;  
perfectam, (quæ electis non nisi in altero seculo,  
ubi erimus ιστούσελοι, continget) in continua lucta  
spiritus adversus carnem, pergit renasci, sanari,  
converti, sanctificari, purgari, resipiscientiæ con-  
tinuatione, in militiâ perpetua, ad retinendam  
fidem, cum integritate conscientiæ conjunctam,  
ita ut, licet carnis interdum stimulis quasi suc-  
cumbere videatur: tamen semper rursus emer-  
gat in electis, & tandem vincat, ne irritum fiat  
illud consolationis plenissimum dictum: Cùm ce-  
ciderit justus, non collidetur, quia Dominus sup-  
ponit manum suam. Psalm. 37. v. 24.

## XV.

Hinc jam promanat Regenerationis seu Con-  
versionis definitio ejusmodi.

## XVI.

Regeneratio seu Conversio (sunt enim termini  
hi nobis hīc ιανδυναμγνης seu æquipollentes) homi-  
nis ad Deum, est actio Dei externa, & quidem  
speci-



specialis, quā Spiritus Sanctus, quēm Pater & Filius mittunt, per Verbi prædicati vel lecti meditationem, & legitimum sacramentorum usum, in resipiscentium mente novam lucem, in voluntate obsequium, in corde motus novos fiduciæ, non nisi in unico Christo Mediatore acquiescētes, accedit, ut homo adversus regnum peccati luctando, tum interiores motus & affectus, tum exteriores membra incipiat præbere arma justitiæ, & vanitati resistere, adeoq; in novitate vitæ ambulare, non secundūm Carnem, sed secundūm Spiritum: quam incoatam novitatem, in ultimā illā *ωαλιγγεσίᾳ*, sequetur plena totius hominis, secundūm animam & corpus, in integrum restitutio.

## XVII.

Cūm igitur tria in hominis Cōversione, & quovis bono opere concurrere dicimus: *Verbum*, inquam, *DEI*, cum quo & sigilla, in vero usu diyinitus sancto, complectimur: *Spiritum item Sanctum*, quem Pater & Filius mittunt, ut accendat corda nostra. Et nostram deniq; *Voluntatem*, virtute *Spiritus Sancti*, per Verbi ministerium accensā, assentiri conantcm, nec hostili contumacia verbo Dei repugnantem: ( *τῶν γὰρ τὸ κατορθόμενον αὐτῷ τὸ θεῖον ὅπερι*, ut rectè inquit Nazianzenus: *δέδοται δὲ τοῖς καλλιεργοῖς, καὶ σὴρ νέυστοι.* ) Inequaque hoc agimus, ut vel gratia æterni Patris, vel Filii merito, vel *Spiritus Sancti* efficacia, extenuatis, nescio quas Liberi arbitrii vires extollamus, aut peccatum ipsum, per miserabilem illum primorum parentum lapsum in nos propagatum, extenuemus; sed potius, ut  
reve-

revelatum in Verbo Dei (quo absq; nulla Dei re-  
ctè colendi norma extat:) ordinem, quo in hac  
vita regenerari, sanctificari, à Deoq; sanari inci-  
pimus, utcunq; in Ecclesia explicemus, in id nimi-  
rum intènti, & hoc unicè agentes, ut, si non ple-  
nè, aliquo saltem modo, intelligi possit, non so-  
lùm, cui tribuenda sit glòria Conversionis, & San-  
ctificationis nostræ, sed etiam, quo medio Spiriti-  
tus Sanctus utatur, & in quôsnam agat, stipitesnè  
an homines? Et siquidem per hos, tanquam or-  
gana seu instrumenta sua, operatur, quomodo  
per eôsdem, ignarosnè aut invitos, perpetuâq;  
contumaciâ repugnantes seu coactos, an verò ipsi-  
us gratiâ jam sanari & velle incipientes, efficaci-  
âmq; & motum ipsius subsequi conantes, opera  
bona efficiat?

## XVIII.

Quemadmodum enim in morbo externo, pe-  
riculi magnitudine deprehensa, & remedio in-  
vento, nondum tamen sequitur restitutio sanitatis  
amissæ, donec justa remedij applicatio ac-  
cedat: ita bonam quidem Ecclesiæ operam na-  
vant, qui de salutari hominis ad DEUM Conver-  
sione differentes, hoc unicè agunt, ut totum il-  
lad beneficium, & gratiæ æterni Patris, & meri-  
to Filii, & Spiritus Sancti efficaciæ, ascribatur,  
ne qua homini scilicet gloriandi occasio relin-  
quatur, gloriam miserentis DEI vel obscurans vel  
imminuens. Rectè enim Augustinus, in Enchi-  
ridio ad Laurentium, dictum Apostoli interpre-

B

tans:



rans: Non est, inquit, volentis, neq; currentis,  
ut totum detur DEO, qui voluntatem hominis &  
præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam:  
qui volentem prævenit, ut velit, volentem sub-  
sequitur, ne frustra velit.

### XIX.

Verumenimverò, nisi de ordine simul seu mo-  
do (non quidem à nobis conficto, sed divinitus  
fancito & revelato) perfruendi illâ ipsâ æterni Pa-  
tris gratiâ, Filij merito, & Spiritus Sancti effica-  
ciâ, certi reddamur, illumq; teneamus: Tantùm  
abest, ut vera hinc sequatur hominis Conversio,  
ut, vel securitatis, vel dubitationum fluctibus,  
corda non rectè institutorum absorberi inci-  
piant.

### XX.

A Verbo igitur ordientes, & profanitati oe-  
currimus, vel quamlibet religionis speciem, vel  
nullam, pro verba habentium, & securitati, tum  
comminationes, tum promissiones DEI, deriden-  
tium, & hypocrisi, suis ipsorummet imaginati-  
onibus indulgentium, & ignaviæ deniq;, quid  
verum, quid falsum sit, nec audientium, nec cu-  
rantium, nedum scrutantium.

### XX I.

Spiritum autem Sanctum appellantes, simul  
complectimur Patrem & Filium, servatâ cujusq;  
Personæ proprietate.

### XX II.

Nec sacrosanctæ Trinitati secundas tribuimus  
partes,

partes, quasi Verbo sit inferior, sed ideo à Verbo ordimur: quia, quandocunq; in homine dicitur esse, id est, ἐν γενεᾷ, Spiritus Sanctus, est ibi, & operatur per Verbum, teste Athanasio lib. 3. de Trinitate. Nec enim extra vel citra (nendum contra) Verbum de DEO vel cogitare vel disserere, nendum certi quid statuere, fas est, cùm, discedentes à Verbo DEI, & veram DEI agnitionem, & consolationum certitudinem, & omnia fidei exercitia, protinus amittere, res ipsa loquatur.

### XXIII.

Errant igitur (ut supra quoq; dictum est) Enthusiastæ, fingentes aut expectantes Spiritus Sancti motus, vel potius raptus, non mediante Verbo, divinitùs patefacto: Errant non minus Pelagiani, & corundem assclæ, hominem suis viribus ἐν γενεᾷ comminiscentes, aut voluntati hominis, ex se se, quantulamcunq; cooperandi facultatem tribuentes.

### XXIV.

Et nihilominus in hominis Conversione (cujus δέχησθαι τελεωτής, Dux & Consummator, est Christus Jesus, per Spiritum Sanctum, Heb.12. 1.2 ) voluntatem hominis concurrere dicimus, eamq;, non otiosam, sed luctantem, ut assentiantur, & non contumaciter repugnantem, trahenti per Verbum, Spiritui Sancto, idq; duas ob causas

### XXV.

Prior est, ut adversus dubitationis tentationem  
B 2

tionem in promptu sit πημήσιον inchoatae intus Regenerationis seu Conversionis, sive, quod idem est, Sanctificationis, vel potius sanationis. Αὐτὸς γὰς τὸ θέλειν testatur, quod in homine Spiritus Sanctus cæperit ἐνεργεῖν: Ipsumq; velle credere, sive expectare consolationem, jam tum initium est Conversionis, quam Spiritus Sanctus in voluntate ciet. Οὗτος γάρ δέν (inquit Apostolus) ὁ ἐνεργῶν εν ἡμῖν, καὶ τὸ θέλειν, καὶ τὸ ἐνεργεῖν, ὑπὲρ τῆς οἰδονίας. Phil. 2. v. 13.

## XXVI.

Altera, voluntatem hominis, in sui Conversione, silentio nequaquam prætereundi, causa est, ut, respuentes media divinitus ordinata, dum suāpte culpâ pereunt, in omnem æternitatem coram tribunali DEI reddantur αἰτιαπολόγητοι. Nec enim audiendi sunt, qui vel prorsus necessariò damnari, vel prorsus necessariò salvari hos illosve, falso contendunt, licet, de utrisq; consilii divini decretum minimè irritum esse, ultrò mente & ore fateamur.

## XXVII.

Hæc est doctrina illa, ad discernendas etiam virtutes Ethnicorum & Christianorum pernecessaria, nec minus ad consolationem, adversus omnis generis tentationes, quam ad perpetua pietatis exercitia, utilissima, de tribus, in salutari hominis ad D E U M conversione, & quolibet bono opere, hoc est, in totâ hujus seculi vitâ Spirituali, concurrentibus, sed non pariter efficiētibus causis: (Tempore enim quidem simul agunt, verū & efficaciâ, & ordine, modōq; agendi,

agendi, differunt) Quam doctrinam qui convel-  
lunt, vel suspectam reddunt, præterquam, quòd  
securitatem profanam, & dubitationem perpetu-  
am, vel desperationem blasphemant, alunt ac  
confirmant, ministeriūq; usum tollunt, & homi-  
nem in statuam truncūmve transformant, no-  
lint velint, vel Enthusiastarum, vel Pelagiano-  
rum, vel Manichæorum, tum singulorum, tum  
universorum erroribus, ne dicam furoribus, (nec  
enim inscitia quævis error appellari potest, cum  
blasphemiam præsertim conjuncta) implicari cer-  
tum est.



#### ARGUMENTUM

Quod, pro vera sententia de tribus concurrentibus in  
Conversione hominis, proposuit clarissimus Theolo-  
gus M. Wolfgangus Amlingus p. m. in Colloquio  
Herzbergensi, Anno 1578. die  
22. Augusti.

**Q**uicquid agit, ut effectum relinquat, id vel  
mediate, vel immediate: & quidem vel in  
nullum præexistēs (ut Creatio testatur) vel  
in aliquod subjectū, sive merè physicum ἡ ψαθητικὸν,  
sive ἡ γονητικὸν, id est, voluntarium, agit. Atq; hæc  
in actione concurrere dicuntur, hoc est, tempo-  
re simul sunt, licet ordine alterum prius sit,  
alterum posterius.

Spiritus Sanctus autem in Conversione homi-  
nis, non immediate, sed per Verbum: & quidem in

subjectum, nequaquam mere physicum καὶ ἄλογον:  
sed Διανοήτην, τότε ἔστι, λογικὸν καὶ περιστερικὸν, agit.

Ergo in Conversione hominis concurrunt: VERBUM DEI, cui tamen non est affingenda vis magica, & SPIRITUS SANCTUS, quem Pater ac Filius mittunt, ut per Verbi meditationem accendat corda nostra: Et nostra deniq; VOLUNTAS, assentiens, ac non repugnans Verbo DEI. Ordinur autem à Verbo, non ratione dignitatis, sed applicationis.

Minorem probo: Quia conversio, nec violenta novarum qualitatum impressio, nec novae substantiae creatio, nec rationalis naturae in brutam, ηψυχικῆς εἰς άψυχον, inversio est, sed, mediante Verbo, τέψυχικῆς εἰς πνευματικὸν ἀγαθός. Trahitur enim homo, ut rationis compos, non ut subjectum inanimale, seu brutum.



Eiusdem Amlingi verba, ex ejus thesibus  
de Conversione ho-  
minis.

**N**on approbamus illorum deliramenta, seu potius blasphemias, qui  
1. Vel hominis cor (Conversionis illud subiectum proprium) considerant, ut materiam ex qua, quod peccati substantiatores faciunt:

2. Vel, ut nudam materiam in qua, expertem omnis sensus aut lucta, quod faciunt illi, qui aut Conversionem simpliciter comparant infusioni novarum qualitatum gratia, instar liquoris, in Urceoles, ut loquuntur, vacuos: aut inter primam, id est, momentaneam, quam falso comminiscuntur, & inter continuam, id est. secundum.

secundam (quam perperam sic vocant, cum non nisi usq;  
ea sit conversio, per totam vitam continuanda, atq; si  
forte interrupatur, instauranda) male distinguendo,  
illam, si non sensus, motus saltē omnis, prorsus expertem  
singunt, hanc & motus & sensus, id est, lucte, aliquo-  
modo capacem sive participem esse concedunt:

3. Vel, deniq; expectandos esse violentos raptus, clas-  
mitant, quibus, sine Evangelij meditatione, homo,  
etiam concumaciter verbo DEI repugnans, convertatur.



Distichon D. Casparis  
Crucigeri.

QUI, capienda fide, salvantis munera Christi.  
Infundi in vacuos somniat urceolos:  
Religionem, fide, pietate, omniq; cerebro,  
Hunc verè vacuum dixeris urceolum.

F I N I S.



21. 17

21. 17

3h 4245



X 22 M 138

VD 17

AC





# Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Cyan

Blue

